



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus IX. De Conjugio Servorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

fecto conjugii debitum reddere, quando sine probabili periculo infectionis & sanitatis gravi detrimento non potest, conjugem sanum non teneri, aliis DD. relatis monent *citt. Sanchez n. 18. & Barbosa in c. Quoniam cit. n. 3.*

8. Diebus tamen addenda & bene notanda sunt tria. Primò extra casum, quò ex lepræ aut alterius morbi malignitate aut nimio horrore naturali periculum salutis manifestum imminet, sano recessum à commercio & cohabitatione conjugali non facillè suadendum, imò ferè dissuadendum, ut colligitur ex *c. 1. & c. Quoniam cit.* ubi tamen, cum à præcepto Apostolico casus lepræ non exceptus asseritur, id intelligendum est, quamdiu cohabitatio moraliter possibilis est: non etiam, cum eam morbi contagiosa malignitas aut nimius horror ita impossibilem reddit, *arg. Reg. Impossibilem 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.*

Vivianus in *c. cit. §. 3.* Secundò, conjugem sanum ob alterius lepram aliàmve ei affinem malignitatem facillè à redditione debiti absolvendum, quàm omnino divertere: imò hoc nunquam, nisi ministris afflicto vitæ subsidiis permittendum; cum infectionis periculum ferè majus ex carnali quàm alio commercio aut sola cohabitatione aliorumve obsequiorum exhibitione oriatur, ut laudatus Zacchias *n. 3.* observat. Tertiò, à redditione debiti & cohabitatione sanum multò difficilius excusari, quando lepra matrimonialem contractum antecessit, idque sanus non ignoravit, quàm si matrimonio jam inito superveniat; priori enim casu, sibi imputare debet periculum infectionis, cui se liberè exposuit, cum leproso scienter contrahendò, ut cum Alex. de Nevo in *c. Quoniam cit. n. 6.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 25. &c.* monent *citt. Sanchez n. 22. & Barbosa in c. cit. n. 4.*



## TITVLVS IX. De Conjugio Servorum.

### SUMMARIUM.

1. Conjugium irritat error Conditionis
2. Non Adscriptitia & Originaria,
3. Sed Servilis :
4. Etsi id inter servum & ancillam consistere queat,
5. Si cum domini consensu :
6. Imò etiam sine isto contrahatur.
7. Liber cum ea, quam scit ancillam, validè contrahit.
8. Invalidè, si ejus conditionem ignoret,
9. Validè initur cum libera, qua ancilla reputatur.
10. Opiniones de Origine impediendi Conditionis,
11. Conciliantur.
12. Jure Ecclesiastico proditum non afficit infideles.
13. Matrimonium olim ex copula præsumebatur.
14. Hodie ea presumptio cessat.
15. Cognitâ uxoris servitute maritus à thoro liberè;
16. A co-

B b 3

16. A co-

16. *A cohabitatione &c. solius Ecclesie  
iudicio recedit:*  
17. *Nisi matrimonium sit omnino occul-  
tum.*  
18. *A libero probanda est conditio ser-  
vili,*  
19. *Et ipsa istius ignorantia:*  
20. *Nisi communiter esset ignorata.*

§. S. 1. ff. *de Statu hominum*, vel ex servi-  
lis conditionis matre nati, §§. *citr. & l.*  
*Partum 7. C. de R. V.* vel, cum viginti an-  
nis essent maiores, scientes prudentesque  
ad participandum pretium se venundari  
passi sunt, l. 1. ff. *& C. Quibus ad libert.*  
*proclam. & nonnulli alii, apud Tholof.*  
*Syntagmat. Lib. 14. cap. 3. num. 2. De*  
*quibus*

Convenit inter DD. primò, validum  
esse matrimonium, quò servus aut ancilla  
alteri, etiam servilis conditionis, per-  
sona desponsatur, *can. Omnibus 29. q. 2.*  
*& c. 1. hác Rubr.* quia Ecclesia, considerans  
homines, spectatà naturâ, omnes esse æ-  
quales, sicut à Baptismi & reliquis, quæ  
gratiâ suscipientis conferuntur, sic etiam  
à matrimonii Sacramento nec liberum nec  
servum censuit removendum, ut dicitur  
*c. 1. cit.*

An autem hoc inire servus & ancilla  
dominò invitò aut insciò valeant, dubium  
reddit Imprimis autoritas Concilii Cabi-  
lonensis, *Decreto de Servorum conjugii*  
*non dirimendi*, subjicientis, hoc in illis  
observandum, quorum conjunctio Lega-  
lis fuit, & per voluntatem dominorum,  
ut refertur, *can. fin. 29. q. 2.* Unde, his  
nolentibus & invitò, in ità dirimi posse ar-  
gumentò ductò à contrario infertur: De-  
inde paritas cum professione Religiosa:  
ad quam servus invitò aut insciò domino  
non admittitur, *can. Si quis servum 37.*  
*& 38. Sc. 17. q. 4. & cum sacris Ordini-*  
*nibus: quos istò invitò servus recipere,*  
*& ipsi conferre Episcopus prohibentur*  
*can. fin. dist. 51. can. 1. can. Nulli 2. Sc.*  
*dist. 54. c. 1. & c. de Servorum 2. de Ser-*  
*vis non ordinand.* Imò sic ordinatus de-  
poni & domino restitui jubetur *c. De ser-*  
*vorum 2. Rubr. cit. can. Ex antiquis 9.*  
*& can. Frequens 10. dist. 54.*

Sed ista speciem majorem, quam vim  
habent; quia *can. fin. cit.* textum per par-  
ticulam

1. **C**um servituti adhuc obnoxii es-  
sent Christiani, non frequens  
minùs, quàm celebre nuptiarum  
impedimentum Conditio, sub-  
intellige *Servilia*, seu potius istius ignoran-  
tia fuit, *can. Si quis ingenuus, 29. q. 2. c.*  
*Proposuit 2. & c. fin. hác Rubr.*
2. Non est autem hic sermo de Ad-  
scriptitiis, hoc est, glebæ seu fundo co-  
lendo adscriptis, & personaliter obligatis;  
ut à cultura sine voluntate domini, pos-  
sensiones deserendò, recedere non possint:  
vel de Originariis, hoc est, ex adscriptitiis  
ortis: quorum mentio fit, l. *Omnes 6. &*  
*§. l. Originarios 11. Sc. C. de Agricol. &*  
*censu. & c. Mulrorum 2. de Judæis & ho-*  
*die multi, vulgo & ibiq; 3ne, in Germania*  
*nostra reperiuntur; cùm enim isti, licet*  
*ad certa obsequia teneantur, re ipsa ta-*  
*tamen homines liberi sint, l. Definimus 12. C.*  
*Rubr. cit. Glossa in e. cit. V. Sint liberi &*  
*ibi Panormit. n. 1. matrimonium cum*  
*quacunq; alia persona eorum conditio-*  
*nem ignorante, aliunde tamen non impe-*  
*dit, contrahere validè possunt, ut cum*  
*Gaëta in can. Ad limina 30. q. 1. §. 4.*  
*n. 332. Brunello de Sponsal. conclus. 3. n.*  
*3. casu 3. & aliis in suis Tract. de Matr. im.*  
*tradunt Gutierrez cap. 90. n. 20. & San-*  
*chez Lib. 7. disp. 19. n. 2.*
3. Sed de Mancipiis, seu Servis propriè  
dictis, quales de Jure sunt, qui vel justò &  
publicè indictò bellò capti, servatique, &  
cipientis dominio subjecti, §§. *Servi 3. &*  
*4. Institut. de Jure personar. & l. Et servorù*

ticulam *Maximè* supplendum; ut sensus sit, servorum matrimonia non dirimenda, maximè quando per voluntatem dominorum contracta sunt, ibi notat Glossa *fin.* à DD. passim recepta. Neque eadem matrimonii ratio est, quæ Religiosæ professionis & sacrae Ordinationis; cum per hanc & illam homo Deo & Divinis obsequiis pro toto vitæ tempore mancipetur: & propterea à servitiis domino exhibendis magis impediatur, quàm per matrimonium, quò jam initò solita obsequia illi præstare servus potest & debet, per textum *c. 1. cit. in fine.*

6. Quare magno DD. consensu & merito recepta est doctrina S. Thomæ in *4. disp. 36. q. unica, art. 2.* pro valore conjugii à servo sine domini consensu initi, stantis propter claram decisionem *c. 1. cit.* & istà non minùs claram rationem; quia matrimonium Naturali & Divino Jure concessum est homini in remedium concupiscentiæ, ad gravium carnis delictorum evitacionem & humani generis conservationem propagationemque: quæ ipsi à dominis auferri non possunt. Imò illi graviter peccant, si servos, ne jure conjugii, à Natura inducti uti possint, prohibeant, aut isto utentes durius tractent, ut ex communi aliorum sententia docent *citt. Sanchez disp. 21. n. 3. & Perez disp. 25. f. 6. n. 4.* et si ab his dominorum consensum peti, iis debita reverentia exigat, saltem casu, quò matrimonium malitiosè impediendum non timetur, ut monet Coninck *disp. 31. dub. 2. n. 32.*

7. Convenit inter DD. secundo, valere matrimonium, quod liber, sive vir sive femina, contrahit cum ancilla vel servo, si ille servilem istius conditionem non ignoret, per claros textus *can. Si quis liber 2. Si quis ingenuus 4. can. Si femina 5. cit. q. 2. c. Proposuit & c. fin. citt.* quibus correctum est Jus Civile, inter liberum & an-

cillam conjugium reprobans *l. Cum ancillis 3. C. de Incestu Nuptia, Joan. Andr. in c. 1. hanc Rubr. n. 3. Panormit. in c. Proposuit cit. n. 3. citt. Gutierrez n. 23. & Sanchez n. 13.*

8. Convenit inter eosdem tertio, invalidum contrà, nullumque esse matrimonium, quod liber, sive vir sive femina, contrahit cum ancilla vel servo, si conditionem istius servilem ignoret, *ex can. Si quis ingenuus & c. cit.* decisionibus indubitatis. Ratio autem, cur ob conditionis servilis potius, quàm alterius qualitatis ignorantiam, sive errorem circa illam, matrimonium irritatum sit, reddi solet duplex. Una; quòd in tali contractu propter nimiam inæqualitatem status præsumatur non intervenisse sufficiens consensus in personam: sine quo conjugia non ineuntur, *c. Cum locum 14. Sc. de Sponsal. & l. Nuptias 30. ff. de R. J.* Altera, quam SS. DD. Angelicus & Seraphicus in *4. disp. 36. ille q. unica, art. 1. iste q. 2. art. 1.* afferunt; quòd servitus, licet non excludat, multum tamen præjudicet tribus conjugii Bonis, *can. Omne 10. junctâ Glossâ V. Eòdem, 27. q. 2. relatis.* Bono quidem Sacramenti & individua vitæ societati cohabitationique conjugum; quia servus à domino in servitiis detineri potest, *c. 1. cit.* Bono fidei conjugalis; quia debitum non omnino liberè, sed solummodo quatenus domini servitia permittunt, reddere valet, *arg. c. 1. cit.* Bono prolis; quia hanc commodè alere, hoc ipso; quòd omnia domino acquirat, *§. Item vobis 3. Instit. Per quas personas cuique acquir.* ejusque educationi vacare non possit; cum non sit in ejus potestate: sed domini, cujus ancilla est mater, *can. fin. 32. q. 4. c. fin. de Servis non ordinand. & §. Servi 4. Instit. de Jure person.* Quibus bonis, cum error circa qualitates alias per se non repugnet, mirum non est, quòd matrimo-

matrimonium conditionis servilis potius, quam alterius qualitatis errore dirimatur. Unde

9. Dubium oritur primò de matrimoniis ab homine libero cum liberâ, quam ancillam: à servo cum liberâ, quam ancillam; ab eodem cum ancilla, quam liberam existimavit. Quæ pro invalidis aliqui habent apud Glossam in *can. Unic. V. Secunda*, 29. q. 1. quòd his casibus omnibus status, & postremò etiam servilis conditionis error interveniat. Nihilominus, ejusmodi matrimonia Jure subsistere, cum Hostiensis in *Summa, de Conjug. servor. n. 9.* Panormit. in *c. Proposuit cit. n. 2.* Gaëta *cit. S. 4. n. 33.* Navarro *Manual. cap. 22. n. 33.* & aliis præcipui nominis T. T. & Canonistis indubitatè, & meritò defendit Sanchez *cit. disp. 19. n. 23.* & evincit ratio; quia Ecclesia matrimonia inter liberam & servilem personam eò solùm casu irritavit, quò ignoratur status, contrahentis conditionem reddens deteriore: quod non accidit casibus, quibus à libero credebatur ancilla, quæ libera, aut à servo ancilla, quæ libera, vel etiam libera à servò existimata est, quæ fuit ancilla.

10. Dubium & controversia secundò est de Jure, quò servilis conditionis ignorantia matrimonium dirimit. Naturali existimant Sylvester *V. Matrimonium 6. q. 1. S. 2.* & Almainus in *4. dist. 36. q. unic. in fine*, cum propter defectum consensûs: tum propter repugnantiam cum tribus bonis matrimonii proximè declaratis, A solò autem Ecclesiastico, quòd *can. Si quis ancillam c. Proposuit S. c. fin. cit.* habetur, eam dirimendi vim provenire, cum S. Thoma *cit. q. unica, art. 1. ad 3.* S. Bonaventura *cit. q. 2. art. 1.* & aliis antiquioribus volunt *cit. Gutierrez cap. 90. n. 1.* & Sanchez *n. 16.* Quorum sententiam, licet priori præferam

Præ eâ tamen arridet distinctio, quâ utramque illorum Opinione in concordiam reducere conatur Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 43. n. 2.* Perez *disp. 25. n. 4.* & Barbosa in *c. Proposuit cit. n. 2.* Vel enim, inquiunt DD. isti, liber habet intentionem non nisi cum libera contrahendi, aut sub ea conditione expressa contrahit, vel non? Si prius, matrimonium Jure Naturali irritum est, propter defectum consensûs apertum. Si posterius & sine ejusmodi intentione vel conditione contrahit, conjugium solò Jure Ecclesiastico, legibus ex aliqua parte deferente, est irritatum, cum; quia hujusmodi error, quòd nec circa substantiam personæ, neque circa qualitatem in hanc redundantem versetur, consensum in personam non excludit: tum verò; quia, licet conditio servilis usum & perceptionem Bonorum matrimonii reddat difficiliorem, eum tamen non tollit; cum servus debiti reddendi & exigendi potestatem liberam habeat pro tempore, quòd à domini servitiis vacuum habet, & ei relinqui debet; quia dominorum in servos, secundùm leges Civiles latè patens potestas, ab Ecclesia multùm, itaque temperata est; ut non solùm vitæ necisque in eos potestas dominis non competeret; sed eos etiam servitiis ita distrahere, ut à matrimonii, ad humanæ etiam infirmitatis remedium instituti, usu omnino impedirentur, non liceret, secundùm communem sententiam multorum, quos *cit.* Sanchez *disp. 22. n. 11.* & huic aliàs, ubi potuit, contrarius Pontius *cap. 42. n. 6. S. 7.* sequuntur. Confirmatur; quia, si servitus matrimonii usum & bona omnino tolleret, id à libero cum ancilla initum, irritum foret non solùm, quando servilis conditio ignoratur, sed etiam, quando cognoscitur; quia utroque casu matrimonii substantiæ æqualiter adversatur. At-

- tur. Atque ex hac Resolutione  
Infertur, validum inter infideles esse  
12. conjugium, quò liber ancillæ, istius conditionis ignarus copulatur: nisi servilem conditionem excludat ejus intentio, vel matrimonium hujusmodi errore initum propriâ aliquâ lege, seu ordinatione Politicâ sit irritatum: sicut de eo, quod gravi & injusto metu initur, statuimus *Tit. 1. n. 245.* & suadet ratio; quòd legibus Ecclesiasticis infideles non adstringantur, *c. Gaudemus 8. V. Super quo, de Divortii.*
13. Dubium tertio est, an conjux liber, detectâ conditione servili, à matrimonio recedere statim possit. Quæ in re admodum variant DD. Et casu quidem, quò post conditionem illam detectam inter eos intercessit commercium carnale, antiquò Jure spectatò, recessui locum non fuisse, clarè decisum est *c. Proposuit 5. c. fn. cit.* & in posteriorem textum notat Glossa *V. Nec factò*; propter præsumptionem affectûs conjugalis in illo intervenientis, & ratihabitionis matrimonii prius contracti, *arg. c. 1s, qui fidem 30. de Sponsal. & matrim.* Cujus præsumptionis magno DD. consensu approbata ratio est; quòd in eo affectum conjugalem præsumendò excludatur peccatum: cujus reus utique foret, qui ancillæ, detectâ ejus conditione, aliò quàm maritali affectu copularetur.
14. Novo autem Jure Tridentini, matrimonia præsumpta irritantis *Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter, de Ref. matr.* conjugium, propter servilis conditionis ignorantiam irritum, per supervenientem carnalem copulam non convalescere, sed ad eius ratihabitionem Parochi & duorum vel trium testium præsentia denuo opus fore, rectè monent *citt. Gutierrez cap. 30. n. 9. Pontius cap. 47. n. 5. & Barbosa in c. Proposuit cit. n. 5. extra calum,* quòd ejus prius initi nullitas non posset probari, ut *Tit. 3. à n. 33. statuimus.*
- Casu autem, quò servilis conditionis notitiæ carnalis copula non supervenit, recessum à conjugio aliqui indiscriminatim & propria autoritate permittunt. Alii meliùs rem expediunt beneficiò distinctionis: & à communi quidem thoro de servili alterius conditione certo conjugii recessum statim permittunt; imò carnale commercium ipsi post Tridentinum priusquam, conjugium denuo & legitime initum sit; & ante illud Concilium, saltem in conjugio persistere nolentibus, illicitum volunt; propter notam conjugii nullitatem. A cohabitatione autem & cæteris obsequiis conjugalibus & ab ipso conjugio publicè noto recedere volentibus opus esse, docent, judiciò Ecclesiæ, *arg. c. Proposuit c. fn. tit. 8. c. Porro 3. de Divortii.* Unde non obturè colligitur, conjugium sine autoritate Ecclesiæ, quâ contractum est, non esse dissolvendum, *arg. c. 1. de R. 7.*
- Dixi, *A conjugio publicè noto;* quia, si id esset occultum, ut neque Parochi aliorumque ejus contractui præsentium testimoniò, neque ex libro Parochiali, propter illorum obitum & istius interitum probari posset, cognita conditione servili recessum propria autoritate permittunt, cum Sylvestro *V. Matrimonium 8. q. 2. d. 10. & Navarro Manual. cap. 22. n. 33. non male docet Sanchez cit. disp. 19. n. 7.*
- Porro, ut matrimonii dissolutio propter conditionem alterius servilem ab Ecclesia concedatur, ei fides faciendâ est non tantùm de ejusmodi conditione, sed de istius etiam ignorantia: & illius quidem probandæ onus conjugii libero, eam alleganti, ex communi DD. sensu imponit Mascardus *de Probat. conclus. 1306.*
- Ab eodem etiam ignorantiam probandam

C c bandam

bandam, existimat Henriquez *Lib. 11. cap. 10. n. 5.* permotus textu *c. fin. cit.* ubi libero alteri nubendi facultas danda asseritur, si constiterit, quod ignorantia contraxerit, rationem reddit; quod eam alleget, in eaque se fundet, ac proinde de ipso procedat Regula *l. Et incumbit 2. ff. & l. Cum aitor 23. C. de Probat.*

At melius cum Panormit. *in c. cit. n. 6.* & Alex. de Nevo *n. 5.* duos casus distinguit *cit. Sanchez n. 8.* Unum, quod alterius conditio servilis in loco & tempore contracti matrimonii communiter nota: Alterum, quod ita nota non est. Et priori quidem ignorantiam probandi onus imponit alleganti; propter præsum-

ptionem Scientiæ rei, quæ communiter est nota, *can. fin. dist. 16. & c. 1. de Posul. Prælat.* Posteriori verò non suam ignorantiam ab isto, sed, suæ conditionis scientiam conjugii libero non defuisse, probandum, ait, à servo; quod ignorantia in dubio semper præsumatur: non scientia *l. Verius 21. ff. de Probat.* præsertim facti & statûs alieni communiter non noti, *Reg. Præsumitur 47. in 6.*

Neque aliud eruitur ex *c. fin.* quia de contrahentis ignorantia satis constat, si contrarium, scilicet servilem conditionem ei innotuisse, non probetur, ut *l. cit.* Panormit. observat.



## TITVLVS X.

### De Natis ex Libero ventre.

#### SUMMARIUM,

1. Proles sequitur ventrem seu Matrem:
2. Aliquando etiam Patrem,
3. Hunc quoad familiam & nobilitatem:
4. Illam quoad libertatem & servitutem,
5. Locorum consuetudine seclusâ,
6. A nobili patre ex ancilla suscepta proles nobilis non reputatur:
7. Antequam libera evadat.

I. **C**um Servilis conditionis homini matrimonio jungi liber & ingenuus, si velit, possit, præfenti Rubricâ agitur de statu proli, ex conjugio, inter illos inito, procreatæ. *Qua in re*

Regula generalis est; quod partus sequatur ventrem, *l. Partum 7. C. de R. V.* five conditionem matris suæ, *l. Nec dicitur 22. C. de Agricol. & Censit. & c. fin. de Servis non ord.* ut ex matre, quæ conceptionis, nativitatis, aut inter hanc & illam medio aliquo tempore, etiam per momentum, libera aut etiam libera, libera aut ingenuæ, *pr. Instit. de Ingeniis, l. Et servorum 5. §. 2. ff. de Statu hom. & c. Unico hæc Rubr.* ex ea autem, quæ toto illo tempore ancilla fuit, servilis conditionis proles nascatur, *§. Servi 4. Instit. de Jur. Person.* cujuscunque conditionis fuerit pater, *l. Partum cit.* & si illa ab isto ex aliena, five ex propria ancilla sit procreata, *l. Si ea 2. C. Si mancip. ita fuerit alien.*

Hanc